Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26237
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et non peccabit. Ex quo iudicio non iustificabitur in conspectu dei omnis vivens. Propter quantumcumque perfectum? necessarium nobis est debere dicere. Dimitte nobis debita nostra. Sed magis contra caritatem facit qui gravius peccat. minus qui levius. Et tamen ipso omnium reus. quia contra eam facit in qua pendent omnia. Quae quadripartita dicitur virtus. Ex ipsius amoris vario quodam affectu dicitur. Ut temperantia sit amor integrum se praebens ei quod amatur. fortitudo amor facile tolerans omnia propter quod amatur. Iusticia amor soli amato serviens et propterea recte dominans. Prudentia amor bene discernens ea quibus adiuvatur in deum ab eis quibus impeditur sagaciter se eligens. Sed hunc amorem non cuiuslibet sed dei esse dicimus. Qui in corruptus in eo atque integer custodiatur quod est temperantiae. in nullis frangatur incommodis quod est fortitudinis. Nulli alii serviat quod iusticiae. Vigilet in discernendis rebus ne fallacia subrepat. quod est prudentiae. *In titulo De moribus ecclesiae.*

Utrum autem hae virtutes in futura vita sint questio est. Sed si deo regenti esse subditum iusticia est. inmortalis est omnino iusticia. et fortassis aliae tres in illa erunt beatitudines. Ut prudentiae sit nullum bonum deo praeponere vel aequare. fortitudini ei firmissime cohaerere. Temperantiae nullo defectu noxio delectari.

Non caro corruptibilis *De civitate dei.* animam peccatricem. sed anima peccatrix fecit esse corruptibilem carnem. Ex qua corruptione carnis licet existant quaedam incitamenta vitiorum. non tamen omnia tribuenda sunt carni. ne ab his omnibus purgemus diabolum qui non habet carnem. *Ex tertio de trinitate.*

Quare illi angeli dicendi creatores non sunt. quia per illos magi resistentes moysi ranas et serpentes ~~moysi ranas et serpentes~~ fecerunt non enim eas